G VI. H 82
45898
16 15

J. N. J!

THESES DE CAUSIS PESTIS IN AËRE

Qvas

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

Consensu

PRÆSIDE

PHILIPPO JACOBO Hartmann/

PHIL. & MEDIC: D. P. P.

Examini Eruditorum

Submittit

ABRAHAMUS Hartwich/

Reg. Pruſs:

REGIOMONTI

Ex Typographiâ Reichianâ.

Anno 1687.

VIRIS

Generoſo, Maximeq; Strenuo, Nobi-
liſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Prudentiâq;
& Jntegritate Conſpicuis

DNO ABRAHAMO de Adlers-Feld
S. R. Maj: Polon: Deutero Chiliarchæ, Urbium Sere-
niſſimi Marchionis Brandenburgici Slutzkj & Kopiſch in Ruſsia
Locumtenenti &c: &c:

DNO ARNOLDO BREDELO,
Reip: Cniphov: Senatori graviſſimo, Camerario
meritiſsimo

DNO CHRISTOPHORO Dultzen
Scabino Palæopol: prudentiſsimo

Dominis Evergetis, Patronis,
Patrueli & Avunculo, omni Cultu
& veneratione proſeqvendis,

Has Theses in monumentum
qvalecunq; debitæ gratitudinis,
cum voto omnigenæ proſperi-
tatis Strenæ loco conſecrans,
Studia ſeq; ſuaq;
humillimè commendat
Abrahamus Hartwich,
R. P.

J. N. J!

Thes. I.

NOn minus Philoſophus ac Hippocrates, Epidemiorum morborum origines in aëre volunt quærendas, aſſentiente Galeno: Communiſſimi enim cum ſint atq; latiſſime diffuſi, illo ipso ab Endemiis & Sporadicis diſtinguendi, ſeminium horum ſcilicet ab illo fovebitur, quô animalia communiſſimè fruuntur; cujusq; vis ad diſſita loca ſe extendit: Aëris autem, quem haurimus, uſu nihil communius, virtute nihil diffuſius.

II.

SUnt autem Epidemiorum alij Peſtilentes, alij Maligni. Utrorumq; cauſas aër nos ambiens continet, utut non prorſus easdem; Contagij enim peculiaris in Peſte ratio erit indaganda.

III.

INſolita quidem immutatio, ſive mavis Corruptio, aut degeneratio aëris obvij, utrumq; genus morbi causabitur; ſed inſolentior erit illa & perverſa magis immutatio quæ Peſtem inferat.

IV.

ATq; quibus modis adeò inſolentes mutationes aëris contingant, dicendum erit amplius.

V.

CUm verò aërem noſtri uſûs ab exhalationibus potiſſimum immutari conſtet, ut pote quæ cauſa ſunt Meteororum omnium, in Exhalationes erit inquirendum. Variant iſtæ aërem, uti ſunt humidæ aut ſiccæ, atq; uti ad illas accedit calor vel frigus; inde etenim Meteororum pronaſcuntur genera, ſ: ignea, ſ. ſpiritalia, ſ: Aquea, ſ. etiam terrea à Dominio causarum appellitentur.

VI.

VErùm cum iſtorum Meteororum minus inſolitæ ſint ex exhalationibus generationes, non ita immutabunt aërem; ſecus & univerſum orbem, & quidem ſingulis Annis, Peſtis invaderet.

VII.

FUerunt itaq;, qui ex inſolitorum Meteororum in aëre generationibus, Peſtilentiæ Origines deducere ſategerunt, quos in Scriptis Medicorum eſt videre; illamq́; in rem prodigiosas pluvias Peſtis prodromos paſſim annotarunt Auctores, ac ſi harum generatio inſolens, inſolentem aëri intulerit mutationem.

VIII.

SEd enim licet cœlo delapſa pleraq; memorentur, tam ex animalibus, quam ex Vegetabilibus, æq; ac ex Mi-

neralibus

neralibus, tamen non eâdem fide cœlo delapſa memorantur omnia.

IX.

Atq; utut cœlo delapſa eſſe certis documentis demonſtrari poſſit, non illicò in Aëre generata demonſtrari poterit.

X.

NEq; enim, Animalia in aëre generari poſſe, ullis edocebimur rationibus, aut ullâ experimentorum fide.

XI.

PAriter nec Vegetabilia in Aëre natalem unquam invenerunt locum. Uti neq; *Annonam frugum ac Leguminum, quam Curonia cœlo delapſam proximè elapſo Anno 1686. exhibuit*, aëris propriè dictum fœtum nobis perſvaderi patimur. Quamvis non neſciamus eſſe argumenta, quibus horum generatio in aëre reddatur veroſimilis; quæ inter & illud occurrit, *quod ex rore prodeant plantæ, uti nobis ſingulare Vegetabile ex illo prodiiſſe viſum.*

XII.

NUllatenus igitur metuendum quicquam ſanitati mortalium ex iſtiusmodi prodigioſis pluviis, cum nullam aëris immutationem per ſe arguant.

XII. Atq;

XII.

ATq; pluviam ſic dictam animalium prodigioſam licet Peſtis fuerit inſecuta, Teſtibus Annalibus, tamen per Accidens illud evenerit; uti quoq; ranarum parvarum (harum pluviam alii quoq; citarunt), magnus proventus morbiferi anni *apud Philoſophum* eſt Jndex.

XIV.

MIneralium verò pluviæ, quamvis non omnes Hiſtoricè fuerint relatæ, tamen certum eſt, quasdam rectè traditas.

XV.

GEnerari quoq; poſſe in Aëre quædam Mineralium, nobis minimè videtur abſurdum.

XVI.

AN verò generatione illorum Aër iſtiusmodi ſubeät mutationem, quæ Epidemiorum, imprimis Peſtis cauſa exiſtere poſſit, dubitandum meritò.

XII.

SUnt quidem, qui Arſenicalem conſtitutionem aëris, Peſtis cauſam adducant; Atq; his fortè argumentum præbuerint pluviæ Mineralium:

XVIII. Cæterum

XVIII.

Cæterum Arſenicum unquam pluiſſe, literis nondum eſt traditum; & cum Artis ſit opus, poſitò, quod cœlo deciderit, tamen non in ipſo erit generatum.

XIX.

Vix autem Arſenico ſimile Venenatum Minerale, Auripigmentum, vel Sandaracham &c: cœlo decidiſſe Scriptoribus notatum invenies. Pleraq; innoxia fuerunt mineralia, quæ faſtis credita ſunt tanquam cœlo delapſa. Ad quæ etiam referimus *telam quandam, dicto Anno in Curonia cœlo deciduam, Papyri nigræ nomine ad nos tranſmiſſam.*

XX.

Aſt deciderit cœlitus aliquod minerale; ſed & in Aëre illud ipſum ſit generatum; non tamen argueret infectionem Aëris tantam, quæ Epidemiorum morborum, aut Peſtis eſſet cauſa. Siquidem iſtiusmodi mineralia exigua forent numero & mole, adeoq; nec multum ſpatii occuparent, unde exhalationes, matrices ipſorum, minus diffuſæ, nec communiſſimi morbi cauſas ſuppeditabunt.

XX.

Cum itaq; maximè inſolita Meteora non cauſentur talem immutationem Aëris, indagandum, quænam ex pauló familiarioribus, apta ſint ad immu-

 tationem

tationem aëris talem, quæ peſtis cauſa eſſe queät producendam.

XXII.

COmetas ſane ex igneis Meteoris Plures allegant; atq; copia exhalationum his ſatis, ut quæ diffundi queät per plurimas regiones. Verum tamen ſæpius Cometæ impune fulſerunt; ut adeò non ſimpliciter cauſa peſtis eſſe poſſit ab illis, niſi contingat cum graviſſimis exhalationibus eſſe conjunctos.

XXIII.

ALiis igneis Meteoris, rarioribus licet, non facile aſſignatas Peſtis Origines meminerim, etiamſi aliquando ſulphureum fœtorem latè ſparſiſſe memorentur, globi præſertim ignei.

XXIV.

Aquea Meteora ſingulariter quoq; aërem ita corrupiſſe, ut Peſtis orbi gravis incubuerit, nondum eſt compertum; ſi tamen totorum aut plurium Annorum tractus aquea Meteora præter ſolitum crebriora ſuggeſſit, tunc ſanè & rationes & monumenta Hiſtoriarum docent à peſte Regionibus illis periculum fuiſſe metuendum meritò: quam in rem Medicorum adduci poſſunt Teſtimonia.

XXV.

MAximè omnium autem à terræ motu legitur Peſtis invaſiſſe Regiones; cum enim exhalationes ſpiritales in

inſubterraneis omnia turbarint, fieri adprimè poteſt, ut Venenata Miaſmata, dum erumpunt, ſecum auferant. Atq; vento nihil eſt aptius, quo ad diſſita loca iſtiusmodi halitus deferri, & cum aëre undiquaq; permiſceri queant; ut contagii quoq; exinde pateſcat ratio, ſi gravior vis ſupponatur miaſmatum.

XXVI.

QUod noſtrum aſſertum ex halitibus ſubterraneis Venenatis illuſtrari poterit, ut pote qui in Metallorum foſſores incidentes, illos aliquando deſubitò exanimarunt; Quemadmodum & qui puteos profundos, aut vetuſtate obrutos purgarunt iſtiusmodi halitibus derepentè emergentibus, illicò corruerunt: ſanè per Terræmotum major copia talium exhalationum undiquaq;, elidetur in Aërem.

XXVII.

COntingit etiam ab Animalibus multis modis infici Aërem, imprimis ubi jam diſpoſitus eſt; ſiquidem effluvia ex animalibus nimium quantum ſubinde erumpunt, & circumvolitantem aërem adprimè immutant, quod utiq; conſpicuum redditur ex locis incultis, quando illa habitabilia redduntur; ex conclavibus, quæ vacua occluſa ſitum contrahunt, qui diſperit quamprimum homines eadem occuparunt. Ut alias taceam, ſufficit hâc vice illas maximè memorabiles Peſtis cauſas in aëre conſignaſſe.

S. D. G.

IN FIGURAS

QUarum aliæ exhibent grana:

Cum ſemine denudato; num; 1. 4.
Cum fibris radicum æmulis. 3. 5.
Cum duplici glumæ. 2.
Geminus apex ex grano eminens. 6.

Aliæ pelliculã Roris Majalis cũ fũgis:

Major congeries cum globis floridis. 7. 8.
Mediæ Magnitudinis. 10. 10. 10.
Minimæ Magnitudinis; item adhuc ſubnaſcentes. 9.

Aliæ deniq; Fabas & piſanum: 11.



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
Aõ 1686.
A·H· fecit